

**XXX**

SIBI IPSI IMMORTALITATEM VATICINATVR

*Asclepiadeus minor*

Exēgī monumentum aere perennius,  
Rēgālīque sitū p̄ramidum altius ;  
Quod nōn imber edāx, nōn Aquilō impotēns  
Possit dīruere, aut innumerābilis

Annōrum seriēs, et fuga temporum.  
Nōn omnis moriar, multaue pars meī  
Vītābit Libitīnam. Ūsque ego posterā  
Crēscam laude recēns, dum Capitōlium

Scandet cum tacitā virgine pontifex.  
Dīcar, quā violēns obstrepat Aufidus,  
Et quā pauper aquae Daunus agrestium  
Rēgnāvit populōrum, ex humilī potēns,

Prīnceps Æolium carmen ad Ītalōs  
Dēdūxisse modōs. Sūme superbiam  
Quaesītam meritīs, et mihi Delphicā  
Laurō cinge volēns, Melpomenē, comam.